

promulgationis modum pertinet, hic ab arbitrio, et intentione legislatoris pendet. Hinc observavi (prout etiam Salmaticenses pro certo testantur) quod inter omnes DD. adhuc inter adversarios, non est qui neget opus non esse de sua natura, ut lex obliget, quod in qualibet provincia publicetur, sed satis est quod promulgetur in curia legislatoris, sicut de facto etiam in Hispaniis (scribunt iidem Salmaticenses) leges regiae, eo quod rex ibi non tenetur Cæsareas servare, tantum Matrili promulgantur. Et sic pariter bullae pontificiae, ut plurimum, juxta usum jam receptum, tantum Romae promulgantur locis ibi ad id destinatis; et vigore hujusmodi constitutionum deinde omnes causae ecclesiasticae judicantur. Contra autem Sedes Apostolica, cum vult aliquam legem non obligare, nisi post publicationem factam in provinciis, id exprimit, sicut expressit in *Interdicto ab Ecclesia*, imposito a concilio Lateranensi IV adversus medicos, qui pergunt ad assistendum infirmis, antequam illi confessionem expleverint, ut praecipitur in cap. *Cum infirmitas, De poenit. et remiss.* Et sic etiam expressum fuit a concilio Tridentino, sess. xxiv, cap. 1, circa invaliditatem matrimoniorum clandestinorum.

« Hoc posito, cum Pontifex statuit suas bullas tantum Romae publicari, minime verisimile est, quod ipse non alias provincias, sed solum Romanam obligare intendat. Cum Papa tantum Romanos obstringere vult, solet peculiariter edicta emanare (et haec italico idiomate efformat); sed statuta per totam Ecclesiam condens, eaque solemniter promulgans cum clausulis obligatoriis, procul dubio praesumitur omnes fideles obligare velle, statim ac ipsis notitia pervenerit. Quae notitia facile est, ut e Roma ad provincias perveniat; Romae enim conveniunt omnes fere nationes, et omnes praelati habent ibi suos procuratores, qui ordinario satagunt suos principales de novis bullis, quae promulgantur, certiores facere. »

(75. « Praeterea, quod leges Pontificiae obligent statim ac solemniter promulgantur, id clare deducitur ex cap. 1, *Ad haec, De postulat. praelat.*, ubi dicitur: « Nec sit necessarium cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare; sed solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam. » Notetur « solemniter editam, aut publice promulgatam. » Qui igitur notitiam certam habet de aliqua bulla jam solemniter Romae promulgata, bene tenetur ad eam servandam. Idem satis infertur ex cap. *Quia cunctis* 1, § *Nec obstaret, De concess. praebend.* in 6, ubi habetur: « Lex, seu constitutio, vel

(7) « Sententia defendens sufficientem promulgationem legum pontificiarum in Romana curia, iudice Bened. XIV (lib. xiii *De syn.* cap. 4, n. 1), magis communis est apud DD. Et nempe longe plures, si theologos et canonistas simul computes, suffragantur, partim Italiae ferme universae, partim

« mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, infra quod ignorare « minime debuissent. » Ergo quisque tenetur leges illas observare, quarum notitia jam ipsi pervenit, cum illae jam promulgatae fuerint modo, quo legislator eas promulgare potest.

(76. « Nec est dubitandum, quin Papa adstringere possit omnes fideles ad observantiam bullarum suarum per solum promulgationem Romae factam, sicut quilibet princeps (prout omnes auctores admittunt, ut supra vidimus), obligare suis legibus valet cuncta sua regna per solum publicationem in sua curia expletam. Sed quod magis nostrae sententiae vim praebet, sunt duae clausulae, quae apponi solent in his bullis, quae promulgantur, locisque consuetis affiguntur. Altera clausula sic dicit: « Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam aliter legare valeat, volumus illas ad valvas, etc., affigi, et publicari, sicque publicatas, omnes, et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent. » Altera dicit: « Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae indignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur observantia, ac si unicuique forent exhibitae, vel ostensae. » Haec autem clausulae nimis diserte ostendunt mentem Pontificis esse velle omnes fideles obstringere ad hujusmodi statuta, independenter ab eorum publicatione in singulis provinciis. Et Sylvius, ac Roncaglia, quamvis admittant ut probabiliter primam sententiam, habent tamen ut certum, quod omnes bullae cum praefatis clausulis Romae promulgatae obligent per se absque alia promulgatione (7).

(77. « Caeterum, recte ait Roncaglia quod ex relatis verbis talium clausularum firmum adduci potest argumentum pro primae sententiae probabilitate, respectu ad eas bullas, ubi praedictae clausulae desunt; nihil enim in legibus frustra appositum supponendum, et clausulae illae omnino essent superfluae, si omnes bullae Romae publicatae etiam sine talibus clausulis obligarent ante quamlibet aliam publicationem in provinciis; modo (excipit) in aliquo loco consuetudo non vigeret indifferenter amplectendi bullas Romae quocumque modo promulgatas.

(78. « Querit autem Sylvius, loco supra citato, vers. *Petes*, an episcopi teneantur promulgare, aut satagere, ut alii observent omnia pontificia statuta jam Romae promulgata? Et sic respondet: « Teneri curare ut

« exterarum regionum: quales sunt ex. lo. ex Hispanis Bas, Pontius, Suaresius, et Navarrus; ex Belgis Sylvius et Vanroy; ex Germanis Smalzgruber, Pirhingius, etc. » *Philip. de Carboneano ad Theol. Mor. Antoine*, cap. 2 *De legib.* q. 7.

« observentur, quando Pontifex significat se velle quod sua lex ubique obliget, etiam absque alia promulgatione alibi facta. Non tenentur tamen curare, ut promulgentur, nisi vel mandatum pontificium ad eos dirigatur, vel rationabiliter judicent promulgationem in suis diocesisibus esse necessariam. Nihilominus qui legis notitiam habent, ad eam obligari videntur, nisi illa recepta non fuerit, vel per non usum ejus obligatio desierit. Caeterum, si Pontifex non significet esse opus alia promulgatione, neque mandatum dirigat ad ordinarios, probabile est quod ipsi non tenentur legem promulgare, vel curare ut observetur, nisi fructum notabilem ex talis legis promulgatione in suis diocesisibus expectent. Possunt enim tunc interpretari mentem Pontificis esse, quod lex in diversis provinciis tunc observari, vel promulgari curetur, quando ordinarii existimaverint ita esse pro suis locis expediens, et utile. » Idem scribit Diana in *Summa*, v. *Lex*, n. 18, cum Wigers et Maldero, dicens: « Quando Pontifex non significat opus esse alia publicatione, et non praecipit ordinariis, ut servari eam (legem) faciant, nec populis ut servent, non tenentur publicare, et observari curare, nisi pro loco sperent fructum; nam mens Pontificis generalem legem praescribentis est; ut ubi cum fructu fieri potest, curetur observari. »

(79. « Praeterea probabiliter aiunt Suarez *De leg.*, l. v, c. 33, num. 8, et Layman *eodem tit.*, c. 2, num. 7, cum Molina et Soto, quod leges Pontificiae, quae infirmant aliquem contractum suapte natura validum (prout fecit bulla S. Pii V quoad contractus censuales), vel quae jurisdictionem auferunt, v. gr. in sacramento poenitentiae, circa has benigne interpretari possumus, mentem esse Pontificis, quod nolit eas effectum habere, nisi postquam fuerint in diocesisibus promulgatae; alioquin ipsae redundarent in detrimentum plurimorum, qui illas invincibiliter ignorant.

(80. « Secus autem est respectu poenarum, quae statuuntur adversus clericos male ordinatos, et episcopos male ordinantes, prout Sixtus V declaravit (praesertim quoad simoniace promotos, et promoventes, nam quoad alios bulla Sixti per aliam bullam Clementis VIII, 40 *Romanum*, fuit reducta ad terminos concilii Trident.). Sicut etiam secus procedit in legibus irritantibus actum aliquem ob defectum solemnitatis; quae leges, postquam obligandi vim habuerunt, etiam respectu ignorantium valent, ut dicunt Sanchez, *De matr.*, l. iii, d. 17, et l. ix, d. 32, num. 2, ac Laymann, *loc. cit.*, cum Navarr. et aliis. » D. de Ligorio, *De nat. et obligat. legis*, cap. 1, n. 96.

(81. « Queritur (amplius) an, ut lex obliget, requiratur spatium duorum mensium a promulgatione? Tres sunt sententiae. *Prima* dicit statim obligare. Ita Salas, Vasq., Villal., etc., apud Salm., cap. 1, num. 89. Ratio, quia lex, cum promulgatur, jam in suo esse integro constituitur. *Secunda* dicit obligare statim, vel quasi, saltem existentes in

curia, alios autem non obligare, nisi post sufficiens tempus, plus minus, juxta distantiam locorum. Ita Palaus, tract. 3, d. 1, part. xi, num. 7; Suar., lib. iii, cap. 17, a num. 7. Item Montes., Gran., etc., ap. Salm., n. 90. *Tertia* sententia probabiliter dicit, quando in lege non determinatur tempus ad obligationem, nullos obligare, neque in curia existentes, nisi post duos menses a promulgatione; sed transactis duobus mensibus, jam arbitrio prudentum taxatis, omnes obligare. Ita Soto, *De just.*, lib. ii, quaest. 1, art. 4; Bonac., tom. III, cap. 6, concl. 2, n. 3; Sa., v. *Lex* n. 8; Sylvest., *cod. verb.*, quaest. 6, et Salm., n. 91, cum Valent., Reg. Men. Tab. et aliis. Ratio, quia lex non obligat, nisi ejus notitia moraliter ad omnes subditos pervenire possit, ut eruitur ex l. *Leges*, c. *De leg.*, ubi: « Leges sacratissimae intelligi ab omnibus debent, ut universi, praescripto earum manifestius intellectu, prohibita declinent. » Et ex cap. *De concess. praeb.*, in 6, v. *Nec obstat*; ibi: « Lex, seu constitutio, et mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus intra quod ignorari minime debuissent. » Hoc autem tempus, quo lex humano modo pervenire possit ad aures subditorum, taxandum est arbitrio prudentum, hocque arbitrium jam taxatum habemus in auth. *Ut facta*, etc., uti supra dictum est. Ergo illi standum, ubi tempus non est determinatum. » D. de Ligorio, *loc. cit.*

Sed haec hactenus.

ARTICULUS III.

Lex quoad ea quae concernunt personas ad ipsam obligatas.

SUMMARIUM.

1. Ad leges Ecclesiae obligantur omnes Christi fideles. — 2. Ad tales leges obligantur infantes, seu pueri post septennium in iis quorum materia eorum aetati est conveniens. — 3. Imo ad tales leges in iis, quorum materia eorum aetati est conveniens, secundum multos, obligantur etiam infantes, seu pueri habentes perfectum usum rationis ante septennium. — 4. Alii tamen tenent contrarium. — 5. Pueri, et puellae post septennium completum, et ante pubertatem, id est ante annum 14 completum in masculis, et ante 12 in feminis, possunt incurrere excommunicationem latam in eos, qui ingrediuntur monasteria monialium. — 6. Et sic dicendum est de puellis, quae in simili aetate ingrediuntur monasteria, seu conventus virorum. — 7. Etiam probabilis est tales impuberes incurrere excommunicationem latam in percussores clericum. — 8. Item valde probabile est tales impuberes incurrere alias censuras a jure, vel ab homine latas. — 9. Amentes non perpetui, sed delirantes per intervalla tantum, sicuti et ebrii, obligantur ad leges humanas. — 10. Non tenentur tamen ad ipsas humanas leges amentes perpetui. — 11. Ad leges et statuta infer. praelator. et alior. superiorum obligantur solum subditi proprii territorii: v. addit. in fine. — 12. Imo neque ad tales leges tenentur subditi, quando actu existunt extra territorium legislatoris. — 13. Legislator humanus tenetur ad proprias leges, in quibus continetur jus naturale, vel divinum. — 14. Legislator humanus monarchicus non tenetur suis legibus, quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam directae, sed tantum indirecte. — 15. In legibus duplex vis

obligandi distinguitur, una directiva, et alia coactiva, et quæ sit utraque? — 16. Vis directiva, alia dicitur directa, et alia indirecta, et quæ sit utraque? — 17. Probatur prima pars conclusionis, scilicet quod legislator humanus monarchicus non teneatur suis legibus, quoad vim coactivam. — 18. Imo supremus monarchicus legislator quoad vim coactivam, neque obligatur legibus suorum antecessorum. — 19. Probatur secunda pars conclusionis, scilicet quod legislator humanus monarchicus non teneatur suis legibus, neque quoad vim directivam directe. — 20. Probatur tertia pars, scilicet quod legislator humanus monarchicus teneatur suis legibus quoad vim directivam indirecte. — 21. Papa exemptus est ab omnibus pœnis canonicis jure humano introductis, et episcopus exemptus est a pœnis per se, suosque antecessores statutis. — 22. Non sunt tamen exempti a culpa, nec Papa, nec respective episcopus, si suas, vel suorum antecessorum leges non observent. — 23. Papa, quamvis non teneatur ex præcepto ecclesiastico ad annuam confessionem, et paschalem communionem vi coactiva, tenetur tamen vi directiva. — 24. Et sic, salva proportione, dicendum est de aliis legislatoribus; cum hoc tamen, quod, secluso scandalo, et damno, seu injuria tertii, peccatum legislatoris monarchici propriam legem, seu suorum antecessorum transgredientis, raro sit mortale. — 25. Si legislator sit ipsa communitas, v. g. respublica, capitulum, vel alia universitas, tunc singuli de tali communitate tenentur ad legem ab ipsa conditam observantiam. — 26. Hæretici, quamvis de facto resistent legibus ecclesiasticis pro toto christiano orbe latis, de jure nihilominus ad earum observantiam sunt obligati. — 27. Judæi, pagani, et catechumeni non tenentur legibus ecclesiasticis. — 28. Peregrini, et advenæ existentes extra territorium suum non obligantur ad leges speciales sui territorii. — 29. Imo peregrini et advenæ existentes extra suum territorium, non solum non obligantur ad leges speciales sui territorii, sed nec ad leges communes in suo territorio vigentes, si istæ non vigeant in loco, ubi per modum hospitii reperiuntur, aut morantur. — 30. Peregrini et advenæ exeuntes e suo territorio, et nacti domicilium in alio loco cum animo ibidem permanendi, illico adstringuntur legibus illius loci, tam communibus, quam specialibus. — 31. Peregrini, et advenæ discedentes mane ex oppido, ubi non est jejunium, pessunt ibi comedere carnes, quamvis vesperi, aut meridie venturi, seu redituri sint ad locum ubi est jejunium de præcepto. — 32. Neque domum reversi amplius tenebuntur illa die servare jejunium. — 33. Tenebuntur tamen adhuc abstinere a carnibus. — 34. Item tenentur abstinere a carnibus in loco domicilii ubi est jejunium, si inde mane discedant, perventuri ad locum, ubi non est jejunium. — 35. Peregrini et advenæ se transferentes in fraudem jejunii de loco ubi viget præceptum jejunandi ad locum ubi non jejunatur, peccant graviter. — 36. Sic nullum est matrimonium illorum qui in fraudem legis e loco proprii domicilii ubi est publicatum concilium Tridentinum, non mutato realiter domicilio, transeunt ad locum ubi non est publicatum Tridentinum, eo solo animo, et fine, ut absque parocho et testibus contrahant. — 37. Peregrini autem et advenæ, qui de loco ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide transeunt ad loca, seu per loca ubi non jejunatur, non tenentur jejunare. — 38. Sic qui non in fraudem jejunii, sed peregrinationum, aut negotiorum causa, de loco proprii domicilii, ubi ob discrepanciam novi et veteris kalendarii, nondum est incepta Quadragesima, pergit ad locum ubi per hebdomadam est quadragesima jam incepta, et observatum jejunium, non tenetur illic illo anno jejunare per adhuc alios octo dies Paschæ ad complendam integram Quadragesimam, sed potest licite se accom-

modare moribus eorum apud quos est. — 39. Contra vero si talis in loco sui domicilii complevisset Quadragesimam, non teneretur postea alibi observare illos octo dies. — 40. An peregrini, et advenæ exeuntes e loco ubi est festum, de præcepto, transituri ad alium locum ubi non est festum, teneantur ante discessum audire missam? — 41. Tales peregrini et advenæ ante discessum a territorio ubi currit festum toto illo tempore, quo permanent ibi, tenentur abstinere a labore servili. — 42. Cum autem pervenerint ad locum ubi non est festum, dummodo illuc non se contulerint in fraudem legis, possunt laborare, quamvis in loco sui domicilii, propter peculiare festum ibi currens, debeant ex præcepto abstinere a labore servili. — 43. Peregrini et advenæ tenentur ad leges locales in celebratione contractuum. — 44. Unde si sponsus et sponsa e loco ubi non est promulgatum Tridentini concilii decretum de contrahendo matrimonio coram parocho, et testibus, peregrinentur ad locum, ubi est promulgatum, tenentur contrahere coram parocho, et testibus, alias matrimonium esset invalidum. — 45. Peregrini et advenæ tenentur ad leges locorum ubi reperiuntur, quando tales leges latæ sunt specialiter ob bonum commune illorum locorum ubi sunt. — 46. An vagi, seu vagabundi obligentur legibus et consuetudinibus locorum per quæ transeunt, vel in quibus hospitantur? multi tenent affirmativam. — 47. Unde parochus proprius vagorum, seu vagabundorum in ordine ad matrimonium, est parochus illius loci ubi vagi actu versantur. — 48. Multi alii tamen satis probabiliter doceant eandem esse rationem vagorum, quæ peregrinorum, ut scilicet vagi, seu vagabundi obligentur, vel non obligentur illis legibus particularibus locorum per quos transeunt, quibus obligantur, vel non peregrini, seu advenæ; alia ad rem ibi. — 49. Clerici et regulares nullatenus tenentur ad leges civiles, quæ sine apostolica approbatione de personis, locis et rebus ecclesiasticis specificè, hoc est expresse, vel nominatim disponunt, etiamsi eorum commodum, vel favorem contineant, et tanto minus, si contineant eorum præjudicium et incommodum. — 50. Clerici et regulares, quoad vim coactivam, nec tenentur legibus civilibus, et statutis laicorum, quæ non specificè, seu non expresse, vel nominatim disponunt de ecclesiis, rebus, et personis ecclesiasticis, sed generaliter, seu communiter ob publicam utilitatem, seu necessitatem quidpiam præcipiunt, aut prohibent, quamvis id non repugnet statui clericali, aut immunitati ecclesiasticæ. — 51. An autem clerici et regulares teneantur dictis legibus civilibus, et statutis laicorum quoad vim directivam, variant doctores. Plurimi enim docent clericos et regulares teneri dictis legibus quoad vim directivam, si non directe, et per se, saltem indirecte, et per accidens. — 52. Alii tenent, quod leges civiles, seu laicales, etiam favorabiles, et generaliter loquentes, non includant, et obligent clericos et regulares, si præcipiendo, vel prohibendo loquantur. — 53. In praxi ad bonum publicum promovendum, et peccatorum pericula, aliæ mala evitanda, consultissimum est, quod prælati ecclesiastici tempore caritatis, pestis, aut alterius publicæ necessitatis coadjuvent similibus edictis principum sæcularium proclamata. — 54. Et hoc est de mente sac. Congr. Episcoporum et Regularium, quæ pluries id ordinavit. — 55. Et sæpe sæpius quoad hæc, et similia idem rescripsit, et decrevit sac. Congr. Immunitatis, et afferuntur ad id plurima ejusdem decreta, usque ad n. 78. — 79. Leges sæculares, sive communes, sive municipales aliquorum locorum generaliter disponentes circa contractus, aliasque res profanas, si sint favorabiles, extenduntur, et procedunt etiam quoad clericos, et Ecclesias, earumque res; secus si sint istis præjudiciales. — 80. Clericus contrahens, seu celebrans contractum cum laico,

ut valeat contractus, debet observare solemnitatem, et formam a lege sæculari pro tali validitate præscriptam, aliter contractus corrumpitur. — 81. Secus autem si clericus contrahat cum alio clerico. — 82. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 84.

(1. Ad leges Ecclesiæ obligantur omnes christi fideles; *Communissima* per textum in cap. *Canonum statuta 1, De constitutionibus*, ibi: « Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus, vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur, » cum similibus.

(2. Ad tales leges obligantur infantes, seu pueri post septennium, in iis quorum materia eorum ætati est conveniens. *Communis*. In tali enim ætate communiter censentur capaces rationis; et leges positivæ attendunt ad ea quæ communiter contingunt; leg. *Nam ad ea*, ff. *de legibus*. (3. Imo ad leges Ecclesiæ in iis, quorum materia eorum ætati est conveniens, secundum multos obligantur etiam infantes, seu pueri habentes perfectum usum rationis ante septennium. Sic Busemb. lib. 1, tract. 2, cap. 2, dub. 1, n. 3; Navarr., Henriq., Azor, ab ipso citati, Bosco, *De pœnit.*, d. 7, n. 2.; ubi docet tales pueros obligari ad confessionem annuam, et sic tenent plures alii, et hæc sententia est satis probabilis, teste La Croix, l. 1, n. 676, ubi dicit hanc sententiam saltem esse suadendam in praxi. Et ratio hujus sententiæ est, quia cum tales pueri sint capaces præcepti non requirentis certos annos, si plenum usum rationis habeant, ut supponitur, Lex procedit contra eos, adeoque, etc. (8). (4. Alii tamen dicunt tales pueros, seu infantes, non teneri ad ipsas leges ante septennium completum, quamvis plenum rationis usum habeant, quia leges ecclesiasticæ in obligando procedunt humano modo, et ideo neminem obligant, nisi habentem plenum usum rationis, quem non præsumunt, nisi post septennium completum, quia leges positivæ attendunt ad ea quæ communiter contingunt, cit. l. *Nam ad ea*, ff. *De legibus*; communiter autem non contingit plenus usus rationis ante septennium completum, adeo-

(8) *Romani theologi Nota.* — Non solum suadenda est pueris, in quibus usus rationis obtinet ante septennium, ac malitia supplet ætatem, confessio sacramentalis, sed inculcanda, ac omnino præcipienda. Fac enim hos pueros inter bonum et malum discernere, ac peccati conscios esse, quis neget necessarium iis esse sacramentum penitentiae, ut a peccato surgant? Si confessarium adire tenentur nondum expleto septennio, ergo divino præcepto de expiando per sacramentalem confessionem peccato revera astringuntur. Cum itaque Ecclesia, ne fideles salutare, ac necessarium post peccatum remedium negligant, generatim præcipit ut omnes, saltem semel in anno, confiteantur, idque sub ecclesiasticis quoque pœnis, ut fortius negligentibus excitet, omnesque moveat ad reconciliationem cum Deo, saltem semel in anno procurandam, manifestum est tempus determinasse, ultra quod nulli prorsus peccati capaci confessionem differre liceat. Itaque si pueri, in quibus usus rationis acceleratur, ac malitia ætati prævalet, peccati, ac gravis culpæ

que, etc. Sic Diana part. x, tract. 12, resol. 37; Burghaber centur. 2, casu 24; Ilung, tom. 1, d. 2, n. 18; Castropalao, tr. 4, disp. 1, punct. 14, § 2; Kazenberger, *loc. cit.* n. 238; Joannes Sanchez, et alii, et hæc sententia est etiam satis probabilis, teste La Croix, l. c. n. 676.

(5. Pueri et puellæ post septennium completum et ante pubertatem, id est ante annum 14 completum in masculis, et ante annum duodecimum completum in feminis, possunt incurrere excommunicationem latam in eos qui ingrediuntur monasteria monialium. Concilium enim Tridentinum sess. xxv, cap. 5, *De regularibus*, expresse addit « cujuscunque ætatis sint; » unde cum post septennium completum, licet ante pubertatem, pueri et puellæ sint doli et malitiæ capaces, si ingrediuntur cum cognitione talis prohibitionis monasteria monialium, incurrunt excommunicationem. Sic tenent Suarez, Vasquez, Dicastill., cum La Croix, lib. vii, n. 41; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 241, et colligitur ex declaratione *Sacræ Congregat. Episcoporum et Regular.* quæ sæpe sæpius censuit, quod introducens infantes cujusvis sexus, vel ætatis, incurrat censuras violatæ clausuræ, et signanter in *Turdertina* 7 April. 1579; in *Neapolit.* 22 Mart. 1580; in *Taurinen.* 10 Junii 1650. (6. Et sic dicendum est de puellis, quæ in simili ætate ingrediuntur monasteria, seu conventus virorum; ut habetur ex constitutione Eugenii IV edita pro congregatione S. Justinæ de Padua incipien. *Et si quaslibet personas*. Vide verb. *Conventus*, art. 3, n. 18, ubi adducuntur præcisa ejus verba.

(7. Etiam probabilis est tales impuberes incurrere excommunicationem latam in percussore clericis, uti ex jure probant Castrop. *De legibus* d. 1, p. 24, § 2, n. 9; Delbene, c. 15, dub. 3; Dicastill., d. 1, n. 228 et 231; La Croix, lib. vii, cap. 41; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 241, et alii. (8. Item valde probabile est tales impuberes incurrere alias censuras a jure, vel ab homine latas. Suarez, Dicastill., cum La Croix, *loc. cit.*, n. 42; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 241; Et ratio est, quia ætas illa est de se capax

capaces sint, quis unquam eos poterit ab illo Ecclesiæ præcepto eximere, quo ad annuam confessionem omnes fideles obligantur? Vides ergo quam longe a vero aberrant benigni illi theologi, qui probabilis opinionis usu, aut hortandos tantum, aut omnino excusandos a confessione hujusmodi pueros docent. Atque hæc in causa sunt, ut apud peritiores, ac de æterna hominum salute magis sollicitos theologos, doctrina probabilismi male audiat. Nam admissa etiam opinione quæ tradit Ecclesiæ præcepta homines non obligare ante septennium, quod leges positivæ ad ea referuntur, quæ generatim accidunt, nihilo tamen minus de annuæ confessionis præcepto in puero peccati capace ante septennium aliter philosophandum est: nisi velimus asserere, Ecclesiam de horum puerorum salute sollicitam non esse, vel leges suas non extendere ad omnes quibus congruunt, ac etiam necessariæ sunt. Congruunt vero, ac necessarium est ut puer capax peccati, et qui gravis esse possit culpæ reus, penitentiae sacramentum recipiat.

censuræ, uti quamvis sit contrariæ sententiæ, fatetur etiam Krimer, l. v, n. 1662, et nullo jure probatur exempta. Imo, ut fatetur etiam Delbene, *loc. cit.*, videtur certum in praxi, quod quando fertur censura interdicti in totum populum, obligentur etiam impuberes, cum et illi abstineant a divinis, adeoque communis sensus est, quod incurrant censuram interdicti, et consequenter et alias, quamvis non tam facile, cum eorum actio sæpius excusetur a peccato.

(9. Amentes non perpetui, sed delirantes per intervalla tantum, sicuti et ebrii obligantur ad leges humanas. *Communis*. Ipsi enim absolute pollent usu rationis, adeoque non eximuntur absolute a legibus humanis, sed solum tempore delirii, et ebrietatis per accidens excusantur a formali et imputabilium transgressione, cum careant tunc usu rationis ad peccatum formale necessario requisito. (10. Non tenentur tamen ad ipsas humanas leges amentes perpetui. *Communissima*. Perpetuo enim amentes sunt perpetuo incapaces usus rationis, necessario requisiti ad peccatum formale.

(11. Ad leges, et statuta inferiorum prælatorum ecclesiasticorum, aliorumque superiorum obligantur solum subditi proprii territorii. *Communis*. Ad obligationem enim legis necessaria est jurisdictio, quam non habet legislator in non suos subditos; argum. l. ult., *De jurisdict. omn. judic.*, ibi: « Extra territorium jus dicenti non pareatur impune; » et concordat cap. *Ut animarum 2, De constitutionibus*, in 6, ibi: « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. » (12. Imo neque ad tales leges tenentur subditi, quando actu existant extra territorium legislatoris; quia leges non feruntur, in personas absolute, sed dependenter a territorio, leg. *Omnes populi*, ff. *De justitia et jure*, et expresse habetur in cit. cap. *Ut animarum 2, De constitutionibus* in 6, ibi: « Statuto episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius diocesim committentes, minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune, » et concordat cit. l. ult. *De jurisdict. omn. jud.*

(13. Legislator humanus tenetur ad proprias leges in quibus continetur jus naturale, vel divinum, quia hæc jura, cum procedant ab auctore Deo, sunt supra legislatorem humanum, quamvis ab eo sint populo proposita, et declarata, adeoque nequit ab ipsis se eximere, cum inferior in legem superioris nullam habeat protestatem, cap. *Inferior 4*, dist. 21, cap. *Cum inferior 16, De majorat. et obedient.*, et Clement. *Ne Romani, De election.*

(14. Legislator humanus monarchicus non tenetur legibus quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam directe, sed tantum indirecte. Sic cum communi theologorum et canonistarum S. Thomas 2-2, qu. 96, art. 5, ad 3; Fagnan. in cap. *Canonum*

statuta, n. 57, *De constitutionibus*; Barbosa lib. 1 *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 2, n. 187, cum pluribus ibi citatis; Pirhing, lib. 1 *Decret.*, tit. 2, n. 67; Reiffenst., *ib.*, n. 268; Engel, *ib.*, n. 28; Navarr., in cap. *Si quando de except.* 8, et n. 12, *De rescriptis*; Covarruv., in cap. *Alma mater*, par. 1, § 1, n. 5; Fachineus; lib. 1 *Controvers. juris*, cap. 2; Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 2, q. 4, art. 4, et alii passim.

(15. Ad faciliorem captum conclusionis præmittendum est, quod in legibus duplex vis obligandi distingui solet, scilicet una directiva, et alia coactiva. (16. *Vis directiva* est quæ obligat ad solam culpam in conscientia incurrendam; *Vis coactiva* est quæ obligat non solum ad culpam in conscientia incurrendam, sed etiam ad pœnam ratione transgressionis subeundam. *Vis autem directiva* alia dicitur *directa*, et alia *indirecta*. *Directa* est illa cujus obligatio provenit ex vi ipsiusmet legis, et hæc proprie non obligat, nisi subditos legislatoris. *Indirecta* est illa cujus obligatio non provenit ex vi ipsiusmet legis, sed ex naturali æquitate, ac dictamine rectæ rationis post latam ejusmodi legem; et hæc obligat etiam ipsummet legislatorem ad se conformandum suis subditis in observantia suæ latæ legis. His prænotatis,

Probatur prima pars conclusionis, scilicet quod legislator humanus monarchicus non teneatur suis legibus, quoad vim coactivam, quia nemo sibi imperare, aut prohibere potest; textu expresso in l. penult. ff. *De receptis arbitris*, ibi: « Neque autem imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest; » adeoque cum legislator monarchicus non habeat superiorem, a quo vi coactiva obligetur ad leges, et neque possit seipsum sic ad illas obligare, stat clarum, quod quantum ad obligationem pœnæ subeundæ, solutus est, textu expresso in l. *Princeps 30*, ff. *De legibus*, ibi: « Princeps legibus solutus est. » (18. Imo supremus monarchicus legislator, quoad vim coactivam, neque obligatur legibus suorum antecessorum; cap. *Innotuit 20, De election.*, § *Quamvis autem*, ibi: « Successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generari, pari post eum, imo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem, et c. *Exiit 3, De verborum significat.*, in 6, § *Ceterum sanctæ memoriæ*, ibi: « Nec successorem suum quomodolibet obligavit, cum non habeat imperium par in parem. »

(19. Probatur secunda pars conclusionis, scilicet quod legislator humanus monarchicus non teneatur suis legibus neque quoad vim directivam directe; quia omnis obligatio directiva, etiam directiva, supponit inponente superioritatem, et in faciente subjectionem, ut habet communis doctorum, arg. l. ult., *De jurisdict. omnium*, et cap. *Ut animarum 2, De constitutionibus*, in 6, cum similibus, adeoque cum legislator, respectu sui ipsius, non sit superior, nec subditus, suis legibus non tenebitur directe, etiam quoad vim directivam, arg. cit. l. penult., ff. *De*

receptis arbitris, et cit. l. *Princeps 20, De legibus*.

(20. Probatur tertia pars, scilicet quod legislator humanus monarchicus teneatur suis legibus quoad vim directivam indirecte; quia legislatorem teneri suis legibus quoad vim directivam indirecte, nihil aliud est, quam etiam ipsum, posita semel lege pro bono totius communitatis, teneri consecutive hanc observare ex jure naturali ac divino ad se conformandum suis subditis in observantia legum, ne pars a toto discrepet, et ne subditi scandalizentur. Ad hoc autem revera legislator tenetur ex ipsa naturali æquitate, et rationis ordine, ut colligitur ex cap. *Quæ contra 2*, dist. 8, ubi sic dicitur: « Turpis est enim omnis pars universo suo non congruens, » et conc. Trid., sess. xxiv, *De reform.*, cap. 1, ubi sic habet: « Totius familiæ domini status, et ordo notabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. » Quia ut dicitur *Ecclesiastici x: Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea*. Unde si qui forent legislatores, qui suas leges ita non observarent, posset illis merito impropere illud, quod tanquam omni juri repugnans improbavit Christus scribis et pharisæis, *Matth. xiii*, dicens: *Alligant onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere*. Hinc cap. *Justum est 2*, dist. 9, sic expresse insinuat: « Justum est principem legibus obtemperare suis; tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando et ipse illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri suis convenit, nec in se posse damnare jura, quæ in subjectis constituunt, justum est. Justa est enim vocis auctoritas eorum, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur. » Et cap. *Cum omnes 6, De constitutionibus*, expresse dicitur: « Patere legem quam tu ipse tuleris; » et ibi *Glossa*, verb. *Patere legem*, sic habet: « Nec debent aliis legem imponere, quam ipsi negligunt observare, » ut similiter habetur in cap. *Pro illorum 22, De præbendis*, ibi: « Cum nobis legem imponere non debeant, quam ipsi negligunt observare, » et l. 4 *Cod. de legibus*, sic præcise dicitur: « Digna vox est majestate regnantis, legibus obligatum se principem profiteri. » Adeoque, etc.

(21. Ex adductis sequitur quod Papa exemptus sit omnibus pœnis canonicis jure humano introductis; et episcopus exemptus sit a pœnis per se suosque antecessores statutis; cum enim, ex dictis, legislator non teneatur legibus suis, et antecessorum quoad vim coactivam, et tales pœnæ proveniant a vi coactiva legum pontificiarum, et respective episcopali, Papa, et respective episcopus est ab ipsis exemptus. (22. Non sunt tamen exempti a culpa, nec Papa, nec respective episcopus, si suas, vel suorum antecessorum leges non observent; cum, ex dictis, teneantur ad earum observantiam quoad vim directivam. (23. Hinc Papa, quamvis non teneatur ex præcepto ecclesiastico, cap. *Omnis utriusque sexus, De præ-*

nitentiis et remissionibus, ad annuam confessionem, et paschalem communionem vi coactiva, ita ut subjaceat pœnis ibidem in transgressores taxatis; tenetur tamen vi directiva, ita ut, si id facere negligeret, peccaret. Geminian. in cap. *Justum est 2*, dist. 9; Joan. Andreas, in cap. *Significasti, De foro competent.*; Fagnan., in cap. *Canonum statuta 1, De constitutionibus*, n. 17 et sequent., cum aliis ibi citatis; Covarruv., in cap. *Alma mater*, part. 1, § 1, n. 6; Barbosa, part. 1 *Jur. eccles. univers.*, cap. 2, n. 87; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 212, et alii passim, arg. citatis juribus, et cap. *Confidimus 1*, caus. 25, q. 2, ubi Gelasius Papa sic dicit: « Id quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, » cum similibus. (24. Et sic, salva proportionem, dicendum est de aliis legislatoribus, cum hoc tamen, quod secluso scandalo, et damno, seu injuria tertii, peccatum legislatoris monarchici propriam legem, seu suorum antecessorum transgredientis, raro sit mortale, ut tenet Tannerus t. II, disp. 5, q. 6, n. 22; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 273; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 229, et alii.

Si legislator sit ipsa communitas, v. g., respublica, capitulum, vel alia universitas, tunc singuli de tali republica, universitate, seu tali religione, vel communitate representata per capitulum, adeoque etiam ipsimet senatores, capitulares, alique conditores ipsarum legum tenentur ad earumdem observantiam, non solum quoad vim directivam, sed etiam quoad vim coactivam, quia senatores tota republica, et capitulares tota religione, vel universitate, seu communitate simul sumpta sunt inferiores, et vere subditi. *Communis*, arg. e. *Cum omnes 6, De constitutionibus*, § *Cum igitur*, ibi: « Cum igitur, quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eodem. » Et sapientis dicat auctoritas: « Patere legem quam tu ipse tuleris; » cum similibus.

(26. Hæretici, quamvis de facto resistant legibus ecclesiasticis, seu constitutionibus pontificiis pro toto christiano orbe latis, de jure nihilominus ad earum observantiam sunt obligati. *Communis*. Hæretici enim per baptismum, ac fidem Christi susceptam, jam sunt ingressi Ecclesiam catholicam, ejusque membra effecti, adeoque manent obligati legibus ipsius; nec, ex quo ipsius legibus de facto resistant, per hoc liberantur ab obligatione eas observandi, quia, ut expresse dicitur l. *Nemo ex suo*, ff. *De reg. juris*: « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest, » et concordat cap. *Intelleximus 7, De judiciis*, ibi: « Ne videatur de sua malitia commodum reportare. »

(27. Judæi, pagani et catechumeni non tenentur legibus ecclesiasticis. *Communis*. Leges enim nequeunt obligare non subditos legislatoris; arg. l. ultim. *De jurisdiction. omn. judic.*, et cap. *Ut animarum 2, De constitutionibus*, in 6, cum similibus. Judæi autem, pagani, et catechumeni non sunt